

visti, credo, præstantissime Pater, quam multa Veneti pro Christiana fide strenue & magnifice ad hunc diem gesserint. Nonus jam annus agitur, ex quo, cæteris Christiani nominis Principibus populisque præter Ferdinandum Regem, cessantibus, terra marique cum hoste hoc immanissimo bellamus: nec vacat mutuas clades, labores, pericula referre. Nullus quidem in tota Peloponneso locus est, nullum in tota Græciæ ora littus, nulla denique Ionii Ægeique maris insula, quæ non aut nostro aut hostium sit sanguine imbuta. Laborum nunquam aut impensæ peritæsum est, modo quæ gessimus, quæque gesturi sumus, christiano nomini conducant. Nunc vero Æoliam Cariamque, opulentissimas hostium regiones ferro & igni populati, ecce tuo foelicissimo accessu in majorem quandam gerendarum rerum spem adducimur. Quæcunque enim tuis deinceps gerentur auspiciis, illa ipsa non nisi prospere foeliciterque eventura arbitror. Tuum igitur erit, quicquid e republica christiana fore duxeris, tuo divino consilio id nobis mature demonstrare, ac quid factò opus sit, dicere: nostrum vero, omnia quæ te velle dixeris, naviter obire. Ad hæc ille, Novi ego, inquit, norunt & alii, quanto studio Veneti ad hunc diem rem christianam defenderint: quot urbes, populos, insulas, suis opibus suorumque virtute servarint; at tamen si aliarum classium imperatores semper rempublicam fortiter gesserint, tu non solum fortiter, sed foeliciter etiam, & (ut sic dicam) pene divine gessisti. Quod quum ita sit, perge rogo, ut cœpisti, strenue rem agere, nec cursum tuorum successuum nostris alteriusve auspiciis interrumpi patiaris. Ego (ut sacris initiatum decet) Deum Divosque precabor, ut tua rite secudent facta: copiæ quas adduxi, tuum sequentur imperium. Secundum hæc in Samum insulam concessere, illic deliberaturi, quo postea moturi essent. Est nunc Samos deserta, non enim de ea quæ Thraciæ adjacet, loquimur, sed quæ potius ab illa diversa est: hæc in Ioniæ ora, & (ut Isidorus tradidit) centum milium passuum circuitu, olim Parthenia appellata, inde Adriiæ, & Anthemusæ;

Me-

1472

Mocenici  
& Legati  
Pontificii  
orationes  
mutuæ.